



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Titulus IX. De Conjugio Servorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

non loqui de matrimonio, sed de sponsalibus de futuro, ad quæ perficienda & executioni danda sanus in hoc casu non est cogendus. De cæterò posse etiam quò ad vinculum dissolvi matrimonium tantùm dispensativè à Papa, esseque lepram supervenientem sufficientem, justamque causam petendi & obtinendi hanc dispensationem, & per eam illius dissolutionem, tenent Sanch. *L. 2. de mat. d. 16. n. 5.* Perez. *de mat. d. 40. f. 7. n. 13.* & alii communis, sæpiusque hanc dispensationem factam à variis Pontificibus testantur Burges. *de irregul. p. 6. tit. de sponsal. n. 74.* aliique passim; de quo vide dicenda inferiùs ad *tit. 19. de divortis.* ubi fusè de dissolubilitate matrimonii rati.

Quest. 197. An sanus conjugì leproso teneatur reddere debitum, eique cohabitare.

R Esp. Dum Medicorùm, aliorùmque peritorum judicio superveniens matrimonio contracto, sive consummato, sive rato tantùm lepra non est tanta malignitatis, ut ex cohabitatione, aut etiam redditione debiti, periculum infectionis aliquod, aut solum leve imminet, tam ad cohabitandum exhibendumque cætera obsequia conjugalia, & in specie ad reddendum debitum astringitur conjux sanus juxta *c. 1. & 2. h. t.* Secus est, seu ad horum neutrum præstandum conjugì leproso tenetur sanus, si eodem Medicorum judicio ex utroque immineret probabile infectionis pericu-

lum; cùm prudenter præsumi nequeat, conjuges contrahendo matrimonium intendisse se obligare ad cohabitandum & reddendum in eo casu debitum, aut etiam matrimonium ipsum adstringere ad talem sui usum, qui subsistere nequit salva individi proprii incolumitate, sed manifestè vergit in destructionem illius; cùm rectus caritatis ordo tali usui obstat, exigendo, ut prius consulatur incolumitati propriæ, quàm alienis solatiis & commodis serviat. Arg. *c. si non licet. caus. 2. q. 5. c. dilecto. de prob.* Atque ita docent Sylv. *v. debitum. q. 1.* Navar. *in man. c. 16. n. 25.* Sanch. *de mat. L. 9. d. 24. n. 2. & 17.* Bonac. *de mat. q. 4. p. 1. n. 8.* Pet. Barb. *in rub. ff. soluto mat. p. 2. n. 28.* August. Barb. *in c. quoniam. h. t.* Pirh. *h. t. n. 10.* Zacchias *qq. medico-legal. L. 7. tit. 2. q. 5. n. 1.* Wiestn. *h. t. n. 6.* qui tamen *n. 10.* bene addit, quòd à cohabitatione & debito difficiliùs liberetur sanus, qui sciens cum infecta jam leprâ contraxit matrimonium; eò quòd is sibi imputare debeat periculum infectionis, utpote cui se liberè exposuit. Item *n. 9.* quòd faciliùs absolvatur à redditione debiti, quàm ab omnimoda cohabitatione; cum majus infectionis periculum incurrat ex commercio carnali, quàm ex sola cohabitatione, à qua etiam illum ob periculum infectionis nunquam divertere posse, nisi subministratis conjugì leproso vitæ subsidiis, ait Idem. *cit. num. 9.* de qua separatione quò ad thorum vide quod dicenda infra *l. c.*

TITULUS IX.

De Conjugio Servorum.

Quest. 198. Num servi invitis dominis contrahere possint matrimonium.

1. **R** Esp. Primò: Servi adscriptitii, qui prædico colendo perpetuò sunt addicti, ita ut inde recedere non possint, ac insuper omnes reditus prædiorum, demptis tantùm expensis & necessario victu, dominis suis reddere debent, & quamvis ad certas operas & servitia dominis præstanda teneantur, eorùmque nati sint & dicantur originarii, validè ac licitè contrahere possunt matrimonium invitis dominis (quamvis in aliquibus locis nubere nequeant licitè alteri non originario ejusdem domini sine domini permissione seu literis quasi dimissoriis) sunt enim verè liberi, & ab actibus legitimis non repelluntur, etsi servi similitudinem aliquam habeant, Castrop. *tr. 28. d. 4. p. 5. §. 1. n. 9.* Gutt. *c. 90. n. 10.* Laym. *L. 5. tr. 10. p. 4. c. 2. in fine.* & nequaquam de iis agitur *h. t.* qui est de servis veris.

2. Resp. Secundò: Verè servi (quales sunt, qui uno ex his titulis, nempe jure belli, nativitate, justa condemnatione, emptione servi sunt, Pereyra *in elucidar. L. 2. n. 825.*) invito domino validè & licitè contrahunt matrimonium, ut expressè definitur *c. 1. h. t.* siquidem matrimonium jure naturæ ac divino concessum, tum ad propagationem generis humani, tum in remedium concupiscentiæ ad evitandas fornicationes, aliæque flagitiæ carnis, cui juri à dominis contraveniri nequit; quin & quod speciale est mancipiis christianis, servus baptizatus à Sacramentis recipiendis removendus

non est, ut dicitur *c. 1. h. t.* cum, ut *ibidem* assertur illud Apostoli: non est differentia in Christo inter servum & liberum, masculum & feminam, Judæum & Græcum. Unde etiam peccare dominum mortaliter, & ab Ecclesia, si ei subjectus est, coercendum, qui servum à matrimonio contrahendo impediret (intellige juxta dicenda paulo post) quia facit contra jus illi à natura concessum, in quo domino non subduntur, tradunt Gutt. *de mat. c. 92. n. 1.* Ponc. *L. 7. c. 42. n. 2.* Castrop. *l. c. §. 2. n. 2.* Pirh. *h. t. n. 2.* Sanch. *L. 7. d. 21. à n. 5.* qui etiam addit, non posse dominum tutà conscientia punire servum, quòd se invito inierit matrimonium; cùm usus fuerit jure suo, & nihil deliquerit. Tametsi autem jus civile non potuerit abrogare jus naturale & divinum, quò matrimonium est institutum in officium naturæ ad solis procreationem, & ad mutuam viri ac feminae societatem, ut Pirh. *l. c. num. 2. in fine.* ex Azor. *p. 2. L. 2. c. 28. q. 4.* inde tamen non sequitur, quòd irritare non potuerit matrimonia servorum contracta invitis dominis; multa enim sunt, quæ à natura conceduntur, quæ etsi per leges humanas abrogari penitus non possunt, potest tamen eorum usus, vel talis eorum usus hic & nunc inhiberi. Et sic expressè ait Castrop. *cit. §. 2. num. 1.* quòd Ecclesia potuerit irritare matrimonia servorum absque minorum consensu celebrata, sicut potuit irritare eorum in religione professionem ex eo capite, quia est in præjudicium dominorum. Sed & de facto jus civile istiusmodi matrimonia interdixit. *L. 3. c. de incest. nupt.*

nupt. *Inst. de nupt. in princ.* cui dispositioni juris civilis subsunt servi non baptizati, utpote circa quos nihil disponere potest Ecclesia seu jus canonicum. *Pirh. h. t. num. 3.* De cætero jus hoc civile quò ad servos Christianos baptizatos correctum per jus canonicum, quod in hoc prævalet; cum in causis matrimonialibus, præsertim dum agitur de valore matrimonii, non juri civili, sed canonico sit deferendum, *Pirh. Azor. Krimer. LL. cit. Alex. h. t. num. 7.* Et tantum abest, ut jus canonicum ea irritaverit, quin potius positivè stabiliverit, ut constat ex *c. 1. h. t.* ubi: sanè juxta verbum Apostoli; sicut in Christo JESU neque liber neque servus est ab Ecclesiæ Sacramentis removendus, ita nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi: & si contradicentibus & invidis dominis contracta fuerint, nulla ratione propter hoc sunt dissolvenda. Quòd autem in veteri Ecclesia matrimonia servorum contracta sine consensu domini fuerint irrita & separata etiam quò ad vinculum, astruit *Ponc. L. 7. de mat. c. 42.* apud *Krimer. num. 1051.* ductus auctoritate Concilii Cabilon. *2. c. 30. relato. c. fin. 29. q. 2.* & dicto illo *D. Basilii ad Amphiloeh. can. 42.* ubi: *qua sine his, qui habent potestatem, fiunt matrimonia, sunt fornicationes; nec ergo vivente patre, nec domino hi, qui conveniunt, sunt ab excusatione liberi, donec conjugio domini annuerint; tunc enim accipit firmitatem conjugium.* Verùm rectius ad hoc dicitur, tales separationes factas fuisse tantum quò ad thorum, & pro iis casibus, ubi dominorum debita obsequia impediabantur, quàm dicatur, factas illas separationes etiam quò ad vinculum, quamdiu matrimonia illa erant rata tantum; dum vix credibile est, illa matrimonia servorum tam diu non fuisse consummata, dum ad instantiam dominorum rescinderentur. Quòd autem ex *Concil. Tolet. 9. c. 12.* afferri solet; ibi prohiberi libertis (adeoque multò magis servis) contrahere cum ingenua, nihil ad rem facit; cum ibidem agatur de matrimonio liberti Ecclesiæ cum ingenua, cui propterea hoc inhibuit, ne Ecclesia detrimentum patiatur, dum proles ex tali matrimonio nata sequatur ventrem seu conditionem matris ingenuæ; adeoque hoc ipso eximatur ab oneribus & obsequiis Ecclesiæ præstandis ab ejus libertis, uti hæc constant ex *Can. seq. ejusdem Concilii.*

Quæst. 199. An saltem dominus indirectè possit impedire matrimonium servi; v. g. vendendo eum in partes remotas, dum scit illum tractare de matrimonio contrahendo.

Resp. Id dominum posse nondum contractis à servo sponsalibus; utitur enim dominus in hoc jure suo, ut licet per hoc impediatur matrimonium, id est per accidens. *Sanch. L. 7. d. 21. num. 9. Gutt. c. 92. num. 6. Castrop. l. c. num. 3.* Non posse tamen dominum, contractis jam à servo sponsalibus, eum vendere in partes longinquas, in quas eum commodè sequi nequit conjux; quia per hoc hujus juri quæsito derogaretur, censent *Sanch. & Gutt.* quod ipsum admittit *Castrop.* si sponsalia contracta ex voluntate & licentia domini; eò quòd tunc censendus sit tacitè promissile, se non impedietur matrimonium, quantum commodè fieri possit; ac proinde non potest tunc sine gravi necessitate in eas partes remotas

vendere servum. Secus si sponsalia contracta sine licentia domini; quia tunc utitur jure suo, cui sponsalia derogare non poterunt; cum sponsa non acquisiverit jus ad matrimonium servi, nisi quatenus servus se ei tradere poterat; is autem se ei tradere non possit, diminuendo per hoc jura sui domini; pro quo *Castrop. citat Nav. c. 22. num. 34. Coninck. d. 31. d. 2. num. 37.* Addit nihilominus *Castrop. num. 4.* obligari dominum regulariter ex caritate, ne hac ratione impediatur matrimonium servi, dum illius magnopere non interest, v. g. si eum æquè commodè vendere potest in illo loco; & quia in eo casu dominus præsumeretur, id facere ex animo iniquo præcisè ad impediendum matrimonium, posse Judicem Ecclesiasticum interpellatum à servo venditionem illam in partes longinquas impedire; quin & Judicem Ecclesiasticum id posse simpliciter in favorem matrimonii, sequendo sententiam probabilem *Sanch.*

Quæst. 200. An & qualiter servi per contractum matrimonium eximantur à servitute, vel etiam obsequiis & servitiis debitis.

1. Resp. Primò: Si dominus servum proprium vel servam tradat in matrimonium personæ liberæ ignaræ hujus servitutis, nec eam detegat, vel sciens eos contrahere cum errore, studio taceat, eo ipso servus vel serva libertatem consequitur, & manumittitur favore matrimonii, idque nullâ sententiâ Judicis requisitâ; ut constat ex *Auth. ad hæc. c. de latina libert. Pirh. h. t. num. 19. Sanch. L. 7. d. 20. num. 1. §. 14. Castrop. l. c. §. 3. num. 2.* Et licet spectato jure communi videatur requiri dolus ad hanc pœnam amissionis servi inducendam, ut constat ex illis verbis *cit. Auth. si tacuerit studio, & Gl. ibi.* ait tamen *Castrop.* Jure sui regni verius esse dolum non requiri, sed eo ipso, quòd tacuerit dominus, servum rapi ad ingenuitatem, præterquam, quòd, ut *Idem,* in hac taciturnitate semper præsumi debeat dolus.

2. Resp. Ad primum secundò: Ancilla quoque libertatem consequitur, si dominus tradat eam nuptui, dotale instrumentum conficiens, homini libero, etiam scienti servitutem, *Arg. L. unio. de Latina libert.* ubi licet nihil de scientia servitutis dicatur, subintelligendum tamen id est, ut aliquid speciale hæc lex statueret ad statutum in *seq. Auth. ad hæc.* notat cum *Sanch. l. c. num. 9. Molin. Tom. 1. tr. 2. d. 39. §. septimus. Abb. in c. istud. de præsump. num. 11. & aliis. Castrop. l. c. §. 3. num. 3.* quòd autem in *cit. L.* soliùs ancillæ fiat mentio, est gratiâ frequentioris usus, quò frequentius fœminis quàm viris conficitur dotale instrumentum. De cætero hanc constitutionem æquè extendi ad servum, si ejus patronus donationem propter nuptias seu dotem ei constituat, asserit cum *Abb. l. c. Gutt. c. 91. num. 10. Castrop. l. c. contra Sanch.* eò quòd eadem in servo sit ratio, nempe quòd dotis constitutio sit propria hominis liberi, & eo ipso, quòd dominus præstet illam ancillæ vel servo, censetur facere liberum. Nequaquam tamen constitutionem illam extendendam ad casum, in quo alius præsentem domino ancillæ dotalia instrumenta conficiat, ita ut illa & tunc evaderet libera, consentiunt *Sanch. Guttier. Castrop. LL. cit.*

3. Resp. Ad secundum: Contracto matrimonio (intellige etiam sciente domino) à servo cum serva, vel etiam cum libera domino non consentiente,

tiente, non eximuntur à potestate domini & servitiis ei debitis. Nav. l. c. Cõn. num. 35. Castrop. l. c. num. 5: juxta quod expressè dicitur c. 1. h. t. ubi: *debita tamen & consueti servitia non minus quam antea debent propriis dominis exhibere.* Si quidem ex matrimonio servus se obligare non potuit ad ejus usum, nisi quatenus eo uti potest absque præjudicio domini; quamvis tamen non ita occupandi sunt servi conjugati à domino, ut non possint conveniente tempore matrimonio vacare reddendo debitum &c. quia cum à natura & per Canones habeant jus ad matrimonium, habent etiam jus ad ejus usum, ne aliàs matrimonium sit omnino frustraneum. Ac proinde, seclusa gravi utilitate seu necessitate domini, nequire illum diu impedire servum, ne accedat ad uxorem, esse enim id saltem contra caritatem, imò contra justitiam, vi cuius tenetur permittere moderatum usum matrimonii, tradit Castrop. num. 5. in fine. His non obstantibus, quòd per matrimonium jus domini in servum aliquo modo diminuat; quòd mirum non est, cum matrimonium ejusque usus jure naturali concessum servo, & servitus non nisi jure gentium introducta. Atqui ex his jam inferitur, posse dominum servum suum conjugatum causa negotiis alicujus

gravis mittere in partes longinquas. Si enim potest homo liber lucrì captandi causà diu ab uxore abesse, tamen si ejus continentia periclitetur, poterit idem servus ob utilitatem domini sui, cuius est Castrop. l. c. non tamen posse eum vendi in partes remotas, quòd eum commodè sequi nequit uxor, & peccati per hoc tantum contra caritatem, vi cuius obligatur quis vitare, dum commodè potest proximi damnum, quale damnum grave patitur servus conjugatus in ea venditione, dum usu matrimonii perpetuò privatur, censet Cõn. d. 31. du. 2. n. 37. peccari etiam per hoc à domino contra justitiam, tenent Sanch. L. 7. d. 22. à n. 8. Ponc. l. c. n. 5. Castrop. l. c. n. 7. cum Gl. in c. 1. h. t. v. *servitia.* Sed neque unquam posse virum renuente uxore se ipsum vendere in servum, habet Castrop. n. 8. citans Gutt. c. 91. à n. 18. eò quòd, etsi vir sit caput mulieris, & gubernator domus, non habeat tamen potestatem sui corporis, sed mulier, adeòque se tradere non possit alteri, ita ut potestatem hanc mulieris diminuat; his non obstante textu c. *perlatum est.* 29. q. 2. quia ibi talis venditio facta soluto matrimonio per divortium, ut ex Ponc. L. 7. c. 44. in fine. Castrop.

TITULUS X.

De natis ex libero ventre.

Quæst. 201. Cujus parentis conditionem quò ad servitutem & honores sequantur liberi.

1. **R**esp. Ad primum: Quò ad statum libertatis & servitutis filii sequuntur conditionem, non patris, seu matris, quantum est de jure communi; ita ut si mater sit libera, liberi sint filii, etsi pater sit servus; si mater sit serva, servi sint liberi, etsi pater sit liber. L. *pañum. c. de rei vind. §. penult. Inst. de jure person. c. fin. h. t.* Quòd verò partus sequatur potius ventrem, qui certus est. L. 5. §. 2. & 3. ff. *de statu homin.* Ratio redditur à D. Thom. communiter recepto in 4. d. 39. q. unic. a. 4. in corp. quòd servitus sit qualitas potius corpus quàm animam afficiens; corpus autem potius à matre quàm patre procedat, utpote in cuius utero formatur, augmentatur, & coalescit. Procedit hoc ipsum etiam, ut si quis filium habeat ex ancilla sua, is sit servus illius, nempe proprii patris. Sanch. L. 7. d. 24. num. 6. Gutt. c. 93. n. 6. Castrop. tr. 28. d. 4. p. 4. n. 2. Arg. L. 2. si *mancip. ita fuer. alienat.* juncta Gl. v. *filium.* Item procedit, si ve proles nata sit ex legitimo matrimonio, si ve non; quia jura in hoc nullum discrimen faciunt. Sanch. n. 8. Gutt. n. 7. Castrop. n. 2. & expressè constat ex L. *servorum. ff. de statu hom. vers. ingenui sunt.* ibi: *nihil refert, an ex justis nuptiis, an vulgò conceptus sit:* vulgò autem conceptus dicitur, qui est spurius. L. *vulgo ff. eod. juncta Gl. v. non licet.* Dixi tamen: *jure communi:* quia, cum servitus sit juris humani, consuetudine alicubi induci potuit contrariam. Sanch. n. 9. Gutt. n. 8. Castrop. n. 1. Molin. tr. 2. d. 33. in fine, juxta c. *licet. h. t.*

2. Porro ut proles induat conditionem maternæ servitutis, requiritur, ut mater & tempore conceptionis, & prægnationis, & partus fuerit serva, ita ut, si uno ex his, etiam brevissimo tempore, fuerit

libera, v. g. prægnationis, etsi aliàs tempore conceptionis fuerit, aut dein tempore partus sit serva, proles nata sit libera, quantum est vi naturalium. Sanch. n. 10. Molin. l. c. Castrop. n. 3. pro ut constat ex §. *sed & Inst. de ingen. & manumiss.* Dixi: *quantum est vi naturalium:* siquidem is non obstantibus, in quibusdam casibus aliter statutum est in jure, nimirum primò, dum ex privata ancilla (licet libera) servus publicis operibus deputatus suscipit prolem, ea unà cum matre evadit serva, juxta L. *fin. c. de servis fugit.* lege ita puniente hoc delictum parentum. Sanch. n. 12. Secundò, si pater libertus seu manumissus post & propter commissam ingratitudinem revocatur in servitutem (uti fieri posse, constat ex c. *liberti. can. 12. q. 2. & Abb. ibi in fine.*) liberi deinceps ei nati sint servi, sequanturque conditionem patris, etsi nati ex matre libera, vel liberta. L. 2. c. *de libert. & eorum liber.* Tertio casu quo mater gerens uterum justo bello capta & in servitutem redacta parit, proles sit quoque serva, eò quòd occasione justì belli beneficium à parentibus acciperit, ne unà cum matre interiretur.

3. Resp. Ad secundum: Filii quò ad familiam, nobilitatem & dignitatem sequuntur conditionem patris, non matris. L. *cum legitimè. ff. de stat. hom.* & ibi Gl. siquidem cum proles esse recipiat à patre tanquam à causa principali & nobiliori principio suæ substantiæ, merito quò ad ea, quæ ad esse & familiam pertinent, & quæ ei annexa sunt, sequitur patrem. Pirh. *ad tit. de natis ex lib. vent. num. 2.* Sanch. l. c. n. 1. procederetque id ipsum, etsi filii sint naturales, & non spurii, habet Castrop. num. 4. Verùm id potius videtur esse ex legibus specialibus regni Hispaniæ, quàm de jure communi.

De cætero, quæ hic tractari potuissent de errore conditionis servilis, qualiter is dirimat matrimonium; jam tractata sunt supra, ubi de impedimento erroris. *quæst. 125.*

& seq.

TITU-